



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. De restitutione furti, quomodò fieri debeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

promissiones, Malac. 1. Hagg. 1. Secundum genus est, largiri egenis, cognatis, parentibus, fratribus aut alijs propinquis Sic ad Tim. inquit Apostolus: Discat primum exercere pietatem ad propriam familiam, & vicem reddere parentibus: ita si quis suos & maximè domesticos non curat, ideterior est infideli, quia cognatis dupliciter obligati sumus: naturali propinquitate, & propter commune præceptum de iuuandis egenis. Tertium genus est iuuare alienos, qui scilicet nobiscum viuunt. Gal. 6. bonū operemur ad omnes maximè tamen ad domesticos fidei. Sic Deuter. 15. fit mentio de illis hominibus pauperibus, qui nobiscum habitant.

Tertiò, quoniã Apost. ad Eph. 4. prohibet deinceps furari, ideò maximè vult alienum reddi. Nam hæc regula est vera in genere de omnib. qui scientes & volentes aliena possident & retinent, & habent vndè reddere possint. Peccatū non remittitur, nisi ablatum restituant. Ideò tenetur quis ad restitutionem, licet impossibilitas habeat excusationem, attamen voluntas debet adesse: nam quandiu retinetur scienter res aliena, tandiu præceptum Domini violatur, Non furtum facies. Ideò siue sit iniustum lucrum, aut pecunia per fraudem & dolum acquisita, vel iniusto titulo corrupta, teneris ad restitutionem. Insuper quoniam scriptura ait Eccl. 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni & preciosi: Igitur qui furantur famam bonam proximo suo, peiores sunt furibus rerum aliarū, quia rem nobiliorem (id est, famam bonam) furantur, & ideò vocat Apost. detractores, Deo odibiles homines. Et, Prou. 22. melius est nomen bonū, quàm diuitiæ multe. Si igitur tenetur ad restitutionem, qui rem minùs preciosam alicui furatus est: ergo etiam in maiori tenetur reuocare verba, & restituere honorē cui detraxit: Quauis in his quatuor secundum Gersonē nunquā

I I.

I I I.

3.

aut

aut difficulter fit restitutio. Primò, si quis bona hæredum ad alios hæredes sua cooperatione facit venire: deindè, si quis, minùs idoneos promouerit ad officia Ecclesiastica: aut ad bellum in re ciuili, quàm maximè iniustum, vbi multi occiduntur corporaliter, sicut in iniusta promotione spiritualiter. Postremò, si quis famam proximi abstulerit: in his enim quantitas damni æstimari non potest, yndè difficilia sunt ad restitutionem: ab his ergo cauendum est maximè.

CAPVT XVII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit contractus.*
2. *In quem finem Deus permittit contractum.*
3. *Quomodo benedicuntur rectè contractibus utentes, & quatenus malè utentes grauiter puniuntur.*

I.



Contractus est obligatio, qui ex duarum vel plurium partium pacto vel voluntate confurgit, sicut est inter emptorem & venditorem, qui ambo consentiunt in re cum pacto aut obligatione precij. Fit autem contractus quatuor modis: re, verbis, literis & consensu. Sunt autem contractus iuris naturæ, quia vita humana habet opus mutua communicatione. Ideoq; Euangelium non abolet ordinationes politicas & œcumenicas, sicut nec iura naturæ. sunt ergo contractus ordinationes Dei, sicut aliæ politice ordinationes, vt magistratus, iudicia, leges: & sicut Salomon dicit Prou. 16. Statera & pondus iudicia Domini sunt, id est, res à Deo iustè ordinatæ: sine his enim homo agere non poterit. Spectant autem hæc ad corporalem necessitatē procurandam: Ideò emere & vendere rectè atq; Christianè, non sunt peccata. Deus quoq; donat hominibus artes ac diuitias variarum

rum